

1978

L

1823

17. De.

U. a. 11


Libb. med. 4. fo

~~24.~~ 16. V.

e

5.

203



THESES.

DE SIMILARI-
BVS SEV SIMPLICI-
BVS PARTIBVS.

QVAE

Aspirante diuini numinis gratiâ in incly-
tâ Academiâ I V L I A disputa-
buntur.

Præside

IOHANNE VVERNERO Med. D.

Respondente

IACOBO ALSTEINIO Haldenslebiensi.

Anno *εποχης* Christianæ cl. lo. xc. pridie Iduum
Augusti.



HELMSTADII

Excudebat Iacobus Lucius, Anno
M. D. XC.

A 4



AMPLISSIMIS, PRVDEN-
TISSIMIS, CONSVLTISSIMISQ;
VIRIS DOMINIS CONSVLIBVS, TOTIQVE
ordini senatorio ciuitatis Haldeflebiensis, Dominis
ac patronis suis æternum co-
lendis. &c.

Postquam, V. A., DEVS hominem in amplissimum hoc
mundi theatrum, tanquam ad Emporium demisit, ei
habitationis locum medium, ex quo tam cœlestia quam
terrena penitus contemplari posset, concessit. Atqui
cum homo serpentis astutijs seductus esset, scientiam priorem sibi præ-
rapi, ac sacro sanctæ Triados thesauris vicissim recondi, sensit. Quare
animum despondisset, nisi DEVS Opt. Max. eius inopie misertus, sa-
pientia cœlestis scintillulas reddidisset. At quæras ἀκονίτι, seu ἀμαχι-
τι, ut aiunt, scientiam DEVS homini est largitus? Nequaquam, sed
labore eam vendidit. Solos enim Φιλοπόνους ad eius consuetudinem
admisit, ratus indignum à Φιληδόνοισι & οἱς sectatoribus rem tam sa-
cram illotis manibus attrectari, & coinquinari.

Ecquis enim eum dixerit Imperatorem qui se fugæ præbeat du-
cem? quis eum agricolam, qui vel minimo fractus labore fodere aut
arare recuset? De me ab Achyllis historia Hectorem & Scamandrum,
ab Vlyssis nauigatione labores, quid reliquum erit quo gloriam im-
mortalem emereantur? Tolle Callimachi vulnera quid aliud præ-
ter Cecropis & Erecthei fabulas inanes supererit? Potuisset quidem
Iuppiter otiosam ac delicatam Herculi suo vitam, quem unicè dilige-
bat, concedere, nihilominus eum assiduis laborum molestiis toto vitæ
cursu premi, ut hoc remedio ad sapientiæ fontem secundâ nauigatione
perueniret, voluit. Sit ergo labor scientiæ consequenda tutissima
via, homini diuino fauore concessa. Cum labore verò exercitatio-
nem coniunxit, arctoque vinculo agglutinavit, ut vnum sine altero
nihil

nihil aut minimum posse videatur. Quantum enim exercitatio & usus commodi habeat, ex hoc liquet quod nulla sit ars nec scientia, quin usu & exercitatione sit inuenta & exculta. Habet enim momentum in omnibus exercitatio maximum, quaecunq; obscura, cognita difficilia, haec facilia ac dilucida reddit. Exercitationis gratia Romani discum, cursum, pugillatum: Cretenses in venationibus iaculandi currendiq; premia instituerunt. Nullus enim victor declaratus, nec lemniscum emeritus est, qui solus decertavit secum. Has ergo exercitationum utilitates huius Academiae IVLIAE studiosi intelligentes congressus & collationes frequentes instituerunt. Ordinis igitur ratione hoc tempore exigente, has desimilaribus partibus theses sub praesidio Cl. viri Iohannis Vernerii Med. D. pro ingenij tenuitate defendendas suscepi, quas, cum primitiae sint, vobis V. A. Aegyptiorum morem imitans, tanquam studiorum argumentum consecrare volui.

Quoties enim in memoriam reuoco, reuoco autem cotidie, quam arcto pietatis vinculo V. A. patriae cui nati sumus obstrictus sim: admodum doleo, res meas eò redactas, ut nullo satis digno officio animum gratum testatum facere possim. Accipite igitur placido vultu hoc perpetuum meae gratitudinis testimonium, plura enim offerre iam nequeo, me praeterea vobis commendo, & plane mihi persuadeo, non tam ipsum munus, quod sanè perexiguum est, quam offerentis animum, ab A. V. pensitatum iri. Valete patres patriae & me meaq; studia foveate. Ex Academia IVLIA Nouis Augusti. Anno 1590.

A. V.

Observantissimus.

Jacobus Alstein.

Thefes de partibus similaribus seu simplicibus.

1.



X Elementis secundis seu sensilibus, (quæ tria sunt Hippocrati, *ἰσορρομῶντα* id est impetu ruentia corpora vt Spiritus: *ἰσχυρόμενα* id est contenta vt humores: *ἰσχυόντα* id est continentia vt partes similes:) duo priora considerauimus, restat tertium de partibus similaribus.

2. Iam dictorum Elementorum genus vnum, humores videlicet, non modo generationis hominum, verum reliquorum etiam animantium sanguine præditorum Elementum est: hominis verò propriæ sunt particulæ istæ minimæ, similes dictæ.

3. Vt enim maximè homo in his quoq; cum non-nullis animantium sanguineorum habeat communionem: (sicuti canem & equum, venas, arterias, neruuos, ligamenta, membranas, carnes habere animaduertimus) non omnia tamen humanis videas similia, imò quædam generis alterius (vt sunt vngulæ, cornua, aculei, rostra, squammæ) reperias.

4. Sensiles ergò ac proprias hominis particulas, à partis definitione exorsi, ordine conuenienti perpendemus.

5. Pars corporis generaliter vulgò consideratur, vt omnia quæ humani corporis Systemate continentur, partis insigniantur nomine: verum nos vt confusionem hanc euitemus, quid pars propriè dici debeat præsupponemus.

6. Est ergò pars corpus toti cohærens, communem vitam participans, certam functionem vsumuè præstans.

7. Hinc humores vniuerso corpore fusos partes corporis esse negamus: vt enim maximè sint corpora, non tamen toti cohærentia corpora sunt.

8. Spiritus vt mobilia & oberrantia corpora ex eadem classe propellimus.

Verru-

9. Verrucas, tophos omnesq; è carne productos tumores è partium numero relegamus: quippè nullum vsum ac commodum sed incommodum toti afferunt.

10. Pilos è recrementis generatos, ac vel è cadaueribus prognatos, hincq; nullâ prorsus vitâ donatos, longû abire volumus.

11. Vngues non multum à radice recedentes, (quippè extremi vngues multum à radice recedentes, neq; viuunt amplius, neq; propriè, scd solo impulsu, nutriuntur) cum alimento nutriantur, viuant, & sentiant (eum enim ad finem in radicem eorum neruus, vena, arteria porriguntur) immeritò à partium numero ab innumeris exclusos, pristinae dignitati restitui posse ac debere putamus,

12. Medullam spinæ fistula contentam, vt vitâ constantem ac munere suo fungentem in partium censum annumeramus: in exilibus verò ossium cauernis existentem, maiores etiam ossium laxitates implentem, partis nomine indignam censemus.

13. Sic ergò generali partis definitione præmissa ad institutum præsens accedemus rectius.

14. Partes constituuntur duplices similes & dissimiles, de quarum illis hîc, de his alibi est agendum.

15. Partes similes, græcis *ὁμοιομερῆ* seu *ἁπλὰ μέρη*, sunt quæ vel sensu saltem simplices sunt.

16. Hæ duplices sunt, vel enim vniformis sunt essentia, vel multiformis.

17. Vniformis essentia sunt quarum particulae omnes & singulae eiusdem sunt speciei ac naturæ.

18. Multiformis essentia sunt, quæ in partes alterius essentia possunt dirimi.

19. Partes simplices vniformes sunt: os, cartilago, ligamentum, membrana, fibra, tendo.

20. Os, *ὄστυ* græcis, est pars hominis maximè terrea, aridissima, durissima, sensus (dentibus exceptis) expers.

21. Cartilago (χόνδρος græcis) est pars corporis terrestris ossis mollior, secundum os durissima, nullis foraminibus cauernulifue intus oppleta, medullæ ac sensus ferè expers.
22. Ligamentum, τυνδεσμός græcis, est corpus simile primario ex ossis aut cartilagine principium ducens, album, durum, cartilagine tamen mollius.
23. Membrana est pars corporis simplex, alba, lata, plana, tenuis facileq; dilatabilis. Generaliter græcis ὑμῆν appellata est: Spetialiter verò, cum partem aliquam vestit χιτῶν, cum cerebrum foris integit μήνιγξ dicitur & sic deinceps.
24. Fibra, græcis ἴν est quasi filum quoddam oblongum, gracile, album, solidum, validum, omnis generis partibus insertum.
25. Tendo, chorda, græcis τένων ἀπὸ τῆς τείνειν, est pars similis parum à ligamento sapore, colore, substantiâ (vt in elixationibus videre est) varians, quibusdam tamen ligamentis mollior.
26. Multiformis essentia partes sunt: caro, neruus, vena, arteria, vnguis, cutis.
27. Caro σὰρξ græcis, est pars corporis nostri simplex, mollis, rudicunda, fibris musculorum, innata. Et hæc propriè dicta caro est.
28. Impropriè dicta caro est, cum quæ visceribus, cordi, iecori renibus & pulmonibus adnascitur, & παρέγχυμα græcis id est affusio appellatur, tùm ea quæ intestinis, gulæ, ventriculo, vtero, vtriq; vesicæ, arterijs, venis, neruis & membranis insidet, vt vnicuiq; similari sua ita sit caro.
29. Neruus, græcis νεῦρον, est pars similis longa, teres, nullam intus cavitatem, quæ sensu dignosci queat, sortita.
30. Vnusquisq; autem neruus triplici constat substantia, videlicet media quadam & intimæ arborum medullæ quam similima,

lima, quæ haud dubiè à cerebro initium ducit, coagulatae indu-
rataeque; cerebri substantiæ omninò respondens, ac exterioribus
duabus: vna, eademque; intimæ substantiæ propinquiore, quam
à tenui membrana cerebri, altera, quam à dura oriri credimus.

31. Vnde in maximo versati sunt errore, qui exteriorem ner-
ui partem è dura cerebri membranâ enasci videntes, è dura ce-
rebri membrana neruorum originem pendere affirmârunt.

32. Vena, græcis $\phi\lambda\epsilon\psi$, est pars teres, fistulæ instar cauata,
vnica constans tunicâ, fibris triplicibus contexta.

33. Arteria est pars similiter teres ac fistulæ instar cauata, du-
plici tunica prædita.

34. Unguis, græcis $\omicron\nu\zeta$, est pars digitorum extrema, albicans,
lata, ac dura.

34. Cutis, $\delta\epsilon\rho\mu\alpha$ græcis, partium corporis tegumentum, mu-
nimentum, ornamentum: Est, vt Vesalius loquitur, veluti fan-
guine præditus neruus, ac inter neruum musculorumque; carnem
quiddam planè medium, perindè ac si ex vtrisque; mixtis conflu-
ta sit.

Απορήματα.

I.

AN adeps sit pars corporis.

II.

An cuticula $\epsilon\pi\omega\delta\epsilon\rho\mu\iota\sigma$ dicta corporis pars sit.

F I N I S.

Ad Iacobum Alstenium.

Prosilit in Medicam iam, phœbe, Iacobus arenam,
Te duce Apollineæ post erit artis apex.
Omen adest: vires lapidum rimabitur omnes,
(Cui dedit omnigenus nomina magna lapis.

Arte potens medicis olim potale ius herbis,

Pæoniâ multos (crede) leuabit ope.

Pallida inauditis proh squallent corpora morbis,

Sæuit, corruptis tractibus, atra lues.

Sis Dux ALSTENIO, ductum Comes ille sequetur,

Arcebit morbos, pellet, Apollo, luem.

Sic sua qui nouit constanti vrgere labore,

Hunc iuuat auspicijs dexter Apollo bonis.

Iacobus Oluenstedt Burgensis.



78L 1823

ULB Halle
004 592 395


3



56.







5. an 3

THESES.
**DE SIMILARI-
BUS SEV SIMPLI-
BUS PARTIBVS.**

QVAE
Aspirante diuini numinis gratiâ in incly-
tâ Academiâ I V L I A disputa-
buntur.

Præside
IOHANNE VVERNERO Med. D.

Respondente
IACOBO ALSTEINIO Haldenslebiensi.

Anno *ἑποχῆς* Christianæ cl. 15. xc. pridie Iduum
Augusti.



HELMSTADII
Excudebat Iacobus Lucius, Anno
M. D. XC.

